

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## XVII.

NOTITIA DE VICO YTTEWILARE ABBATIÆ  
S. PETRI A BERTOLDO IL DUCE  
RESTITUTO.

A N N O   M C I X.

*Ex Rotulo San-Petrino.*

**I**n Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus. Quod *Vir Summæ Nobilitatis DUX BERTHOLDUS* cum Uxore sua bonæ memoriæ *Aguete*. hoc annuente & rogante Reverendissimo Constantiensi Episcopo Domino *Gebehardo* ejusdem Ducis Germano inter cætera liberalitatis suæ opera quemdam locum, qui dicitur *Buchse* cum omnibus ad eum pertinentibus pro redemptione animæ suæ Deo & sancto Petro Apostolo Ecclesiæ nostro Patrono. præpotestativa manu contradidit. qui multis diebus usibus Monachorum, in cœnobio nostro degentium, cum universis suis redditibus libero & intemerato Jure servivit. Revolutis autem aliquot annorum curriculis. quidam perversus ex militibus Ducis pro quodam utilitatis suæ negotio. Jusjurandi non metuens se obligare Sacramento. Cum votum suum ad effectum produxisset. nec facultatibus suis miser à juramento quod fecerat solvi potuisset. Dominum suum Ducem adiit. diversis promissionibus multis obtestationibus inprimis fatis contradicentem ad hoc demum compulit. quod homo tantæ Dignitatis Deo

facere præsumeret injustitiam. ne suus miles perjurus. hominum amitteret justitiam. nam licet invitus ob hanc tamen necessitatem militis sui devictus precibus. quemdam Vicum. *Ttewilare* vocatum. ad supradictum pertinentem locum. cuidam comiti nomine Diepoldo fecit beneficiarium. Verum dum comes idem naturæ cedens tandem obisset. ac Dux præfatus secum revolveret quod egisset, & legatione fratrum quos injuriaverat interpellatus, & superna inspiratione cordetenus visitatus. eo tempore in vigilia Ascensionis Domini cum *filio suo Domino Rvoldo* adventit pacificus. videlicet ea quæ injustè commiserat correcturus. Igitur in sequenti die ipsius solemnitatis ad Monasterium procedens in conspectu Venerabilis Abbatis Domini Epponis & fratrum circumstante non parva. quæ tali die convenerat plebe. Reliquiis Sanctorum apportatis. prædium quod abstulerat. humiliter reddidit. & nequaquam de cætero in hoc aut alijs Ecclesiæ nostræ rebus se nociturum. sed omnibus quibus posset modis Deo & sancto Petro fideliter & devotè promittens semper profuturum. postulante memorato Abbate, eundem Vicum ibidem suscepit in suæ Defensionis patrocinium. Aderant ibi eodem tempore cum Duce præter Vulgas aliqui nobilium Virorum, quorum nomina hic conscripta sunt in rei gestæ testimonium. Hugo de *Tannegge*. Walto de *Pforron*. Marcwart de *Nidingen*. Ernest de *Steine*. Harpertus de *Wilheim*. Immo de *Inffe*. Actum ante Basilicam Sancti Petri. Anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII.